

aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum preinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in premissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti

Clausula.

§.2. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinibus predictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscator. die IV. Maji MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CXLIX.

*Dat. 11. Maji 1697. An. 6.

Eduntur quaedam Decreta circa modum concedendi Habitum Magnae Crucis ad Honores in Hospitali Sancti Joannis Hierosolymitani.

Inn. XI Const. ed: 1686, Jun: 25, P. 10 concessa fuit Magno Magistro facultas circa receptionem Fratrum. Alex. VIII Const. ed: 1690, Aug: 25, P. 1. agit de Erario Hospitalis. Et Clem. XI Constit. ed: 1711, P. 11 de jure trium Navium Bellicarum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Militantis Ecclesiae regimini Divina dispositione praesidentes, dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum quorumcumque, & praesertim Ordinum Militarium egregiam Reipublicae Christianae operam navantium, provide, prudentique distributioni libenter consulimus, sicut rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

§.1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus Magnus Magister Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quod cum ab ipso Magni Magisterii sui primordio ad varios abusus, quos in eodem Hospitali praesertim, circa nimis frequentes dignitatum Magnae Crucis, ut vocant ad Honores, tantum collationes irrepsisse compererat, corrigendos animum intendisset, dilectique etiam filii Bajulivi Conventuales, & alii Consilarii ipsius Hospitalis enixe ab eo petissent, ut opportuna aliqua ratio iniretur, qua immoderate dictas dignitates ambientium cupiditati aditus precluderetur, ipse Magnus Magister die 15. Februarii proximi praeteriti consilium completum status nuncupatum dicti Hospitalis convocari fecit, in eoque quoddam Chirographum manu sua subscriptum exhibuit, & legi curavit, per quod videlicet notum fecit, & declaravit per Statuta, seu stabilimenta, & Ordinationes Capitulares ejusdem Hospitalis auctoritate Apostolica confirmatas dictas dignitates Magnae Crucis certo, ac praefinito personarum propter earum antianitatem, merita, & rerum peritia Judicium, & Consiliorum muneribus fungi capacium numero dumtaxat deferri debere; Multitudinem vero illorum, qui dignitatem, seu habitum Magnae Crucis hujusmodi ad honores tantum ex gratia assecuti sunt, non multis ab hinc annis supra modum excrevisse, indeque politicae dicti Hospitalis administrationis rationem, & rectum Justitiae Ordinem perturbari, ac evidentia Conventui ipsius Hospitalis, & communi illius arario praedictio inferri; Praeceptoris siquidem, seu Commendatarii ejusdem Hospitalis, qui dignitates Magnae Crucis hujusmodi suorum servitorum, meritorum, antianitatis, ac sexaginta forsan, & amplius annorum aetatis intuitu consequi, & obtinere sperabant, dum Juvenes tam in Consiliis, quam in honoribus sibi praeferi vident, id aegre ferentes Conventum praedictum deserunt, ac erga dictum, Hospitale male affecti se ad suas praepceptorias, seu commendas, vel in Patriam recipiunt, illisque ibi morientibus, ipsorum bona ab eorum consanguineis, vel famulis occupantur, atque ita dictus Conventus illorum Residentiae commodis, & honorificentia privatur, necnon Consiliorum ope destituitur: praefatum vero commune ararium eorum Spoliis fraudatur; Porro ejusmodi perturbationum, ac incommodorum, necnon quae inde suboriri possunt, majorum periculorum gravitatem ipsius Magni Magisteri praedecessoribus adeo notam, & perspectam fuisse, ut qui illam propulserent, diversis temporibus plura Decreta ediderint, variisque ad hanc S. Sedem recursus habuerint, idque ex registris Cancellariae praedicti Conventus constare, optima tamen consilia, & conatus hujusmodi, cum minus valide promoverentur inter contrarios magis, magisque obrepentes abusus oppressa, irritaque, & inania remansisse; nullum proinde opportunius tot, tantisque malis remedium adhiberi posse, quam nostra, & hujus S. Sedis auctoritate statuendo, ut nullus imposterum ex Praeceptoribus, seu Commendatariis, aliisque quibuslibet Fratribus Militibus dicti Hospitalis Habitu Magnae Crucis hujusmodi ex gratia decorari valeat, nisi duo millia duplarum Hispaniarum in majores ipsius Hospi-

Epilogus cujusdam Chirographi Magni Magisterii in quo.

Referuntur causa d. Decretorum.

Decretum alterum de concessione dicti Habitum cum consensu Consilii Status faciendum.

Confirmatus fuit d. Chirographus a Consilio praed.

Preces Magni Magisterii.

Decretum duo praed. auctoritate Apostolica edita.

Clausula.

Decretum unum de concessione d. habitum post solutionem 2000. duplarum Hispaniarum.

Hospitalis necessitates erogandarum seu justum earum valorem communi arario praedicto, quod ob magnas expensas pro Christianae Religionis tuitione contra communem illum hostem factas, ac Bella Europae, aliasque temporum calamitates exhaustum reperitur, perolverit; Praeterea Nobis supplicandum esse, ut in eventum, quo deinceps eidem moderno, & pro tempore existenti Magno Magistro dicti Hospitalis facultatem tradendi, seu tradi faciendi quibuslibet Praeceptoribus, seu Commendatariis, aliisque Fratribus Militibus supra dictis habitum Magnae Crucis hujusmodi ad honores tantum a Nobis, & Sede praedicta concedi quodcumque contingat, litera Apostolica desuper expedienda non amplius ipsi soli Magno Magistro, sed etiam consilio memorati Hospitalis conjunctim dirigantur, neque alias traditionis habitus hujusmodi gratiam effectum sortiri, patiamur, nisi quatuor saltem ex quinque partibus suffragiorum ipsius Consilii in id concurrerint. Quo Chirographo perlecto omnes, qui ad Consilium supra dictum convenerant, praevio suffragiorum scrutinio, omnia, & singula in Chirographo hujusmodi contenta approbarunt, ac executioni demandanda esse decreverunt. Quare dictus Magnus Magister Nobis humiliter supplicari fecit, in premissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatus fuit d. Chirographus a Consilio praed.

Preces Magni Magisterii.

Decretum duo praed. auctoritate Apostolica edita.

Clausula.

§.2. Nos igitur ipsius Magni Magisterii votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut nullus de cetero Praeceptor, seu Commendatarius, aliisque quilibet frater Miles Hospitalis praedicti habitu Magnae Crucis ad honores tantum, & honoris causa, vigore quarumcumque facultatum a Nobis, & Sede praedicta deinceps ad id concedendarum decorari valeat, nisi duo millia duplarum Hispaniarum, sive justum earum valorem communi arario ejusdem Hospitalis vere, realiter, & cum effectu perolverit, auctoritate Apostolica tenore presentium statuimus, & ordinamus; Ipsas vero facultates, quas super traditione habitus Magnae Crucis hujusmodi, sive ei, & consilio Hospitalis hujusmodi conjunctim a Nobis, & eadem Sede in futurum concedi contigerit, non alias effectum suum sortiri debere, nisi concurrentibus, & concordantibus quatuor ex quinque partibus suffragiorum eorum, qui tunc in eodem Consilio praesentes aderunt, & jus ferendi suffragii habebunt, eadem auctoritate harum serie decernimus, & mandamus.

§.3. Decernentes pariter easdem presentes literas, & in eis contenta quaecumque etiam, ex eo, quod quicumque in premissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes, etiam speciali nota, & expressione digni illis non consenserint, nec ad illa vocati, citati, & auditi, neque causa propter quas ipsae praesentes emanarint sufficienter adducte verificatae, & justificatae fuerint, aut ex quavis alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, retractari, infringi, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversus illa quodcumque Juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, vel etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolica potestatis plenitudine concessoque in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Rom. Ecl. Cardinales, etiam de Later. Legatos, necnon Magnum Magistrum, & Consilium, ac quavis Tribunalia Hospitalis praedicti, aliisque quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Hospitalis, ejusque Linguarum, & Prioratum quorumvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, & Decretis, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones presentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis, respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Da-

Dioecesis Episcopi parisiensis, cuius sedes in parisiensi archiepiscopatu Parisiensi.

Dos, & Mensa Episcopi parisiensis, cuius sedes in parisiensi archiepiscopatu Parisiensi.

Subiaceat cum Mensa, Sede, aliisque Insignibus Episcopalibus, necnon praeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, realibus, & mixtis, quibus caetera Cathedralis similiter, & pariformiter utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti frui, & potiri, & gaudere possunt, & poterunt, quomolibet in futurum de similibus consilio, & potestatis plenitudine erigimus, & instituimus, ac eidem sic erecta, & instituta Ecclesiae Blesens. ipsum Oppidum sic in Civitatem erectum pro Civitate, necnon districtus, & Territoria duorum Priorum Archidiaconatus, ac partem, seu portionem ultimodicti Archidiaconatus huiusmodi, ut supra a Dioecesi Carnoten. separata pro Dioecesi, necnon Ecclesias pro Clero, & personas seculares pro populo de consilio, potestate, & auctoritate paribus, & iam perpetuo concedimus, & attribuimus, & assignamus, Civitatemque, Clerum, & Populum huiusmodi Episcopo Blesens. quoad Episcopalem, & Archiepiscopo Parisiensi, pro tempore existent. quoad Metropolitanam Ordinarium jurisdictionem, & superioritatem de similibus consilio, & plenitudine subijcimus.

§.3. Et insuper cum Venerabilis Frater Noster Jacobus Antonius Phaliquaux Episcopus Lodonensis. Burgi medii vulgo dicti Bourgmoien. S. Augustini Canonice Regularium, & dilectus Filius Jacobus Franciscus Minot de Mevill Clericus, seu Presbyter S. Launomari respective Monasteriorum S. Benedicti respective Ordinum Oppidi Blesens., & Carnoten. Dioecesis huiusmodi Abbates, seu perpetui Commendatarii ad que Monasteria dum pro tempore vacant jus nominandi vigore Concordatorum dudum inter Sedem Apostolicam, & clar. me. Franciscum I. olim eorundem Francorum Regem initorum ad dictum Ludovicum Regem spectat, & pertinet, & dilectus etiam Filius David Nicolaus de Portier Presbyter Vabren. Dioecesis in Theologica facultate Parisiensi. licentiatu primus Episcopus Blesens. designatus perpetuus. Commendatarius unius S. Joannis Blesens. a Pontis Levii dicti Ordinis S. Benedicti, & alterius Prioratum simplicium cura, & Conventu carentium S. Felicis de Campiniaco a dicto S. Launomari Monasterio respective dependen. Commenda huiusmodi, in quam Jacobus Antonius Episcopus, & Jacobus Franciscus, necnon David Nicolaus, qui Monasteria, & Prioratus huiusmodi ad eorum vitam ex concessione Apostolica respective obtinent, & obtinere consueverunt, in manibus nostris ad praemissorum, & infra scriptorum effectum cesserint. Nosque cessationes huiusmodi duximus admittendas; propterea titulos collativos Monasteriorum Burgimedii, & Sancti Launomari, ac praedictorum, & infra scriptorum Prioratum ac in eisdem Monasteriis nomina, & denominationes Abbatum usque ad illa nominandi de eisdem Ludovici Regis consensu Apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac Mensas Abbatiales Monasteriorum Burgimedii, ac S. Launomari praedictorum, quorum fructus primodicti, videlicet ad trecentos quinquaginta, secundo praedicti vero Monasteriorum huiusmodi ad mille quingentos viginti florenos auri in Libris Camera Apostolica taxati reperiantur, & ex quibus primodicti, vide licet quatuor millia, & secundo dd. Mona-

steriorum praedictorum decem millia, ac ex duorum praedictorum, & trium infra scriptorum Prioratum sex millia Librarum Turonen. annuatim percipi poterunt, firmis, intactis, ac illa remanentibus Monasteriorum praedictorum Mensis Conventualibus a dictis Mensis Abbatialibus separatis, & disjunctis pariter suppressimus, & extinguimus, ac dictarum Mensarum Abbatialium, necnon dictorum duorum Prioratum, ut praefertur vacantium, & cum primum illos per cessum, & in manibus nostris, aut alterius Romani Pontificis successoris nostri, seu decessum, vel quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, aut privationem, seu alius quovis modo Commendis in quas illi, ex particulari concessione ad vitam obtineri consueverunt cessantibus unius videlicet de Montiers Laumen, & alterius de Illou, necnon aliqui Prioratum, etiam cura, & Conventu caren. Sancti Martini de Montocau dicti Ordinis Sancti Benedicti Carnoten. Senouen., seu alterius respective Dioecesis ab eodem Monasterio S. Launomari respective dependentium fructus, redditus, & proventus cujusvis quantitatis, qualitatis, naturae, & speciei existant, praevia duorum priorum Monasteriorum, & Prioratum huiusmodi titulorum collativorum per quam suppressione, & extinctione pro dote, & mensa Episcopali Ecclesiae Blesens. simili auctoritate perpetuo unius, annectimus, applicamus, & appropriamus.

§.4. Ac ad dictam Ecclesiam S. Solemnis futuram, ut praefertur, Cathedralis Saecularem, & Collegiatam Ecclesiam Sancti Salvatoris huiusmodi cum omnibus, & singulis Dignitatibus, Canonicatibus cum praebendis, Cappellanis, Anniversariorum foundationibus, aliisque honoribus, & oneribus, ac quibusvis aliis iuribus, & prerogativis ad eam spectantibus, & pertinentibus transferimus, ac unum Presbyterum, ad quem dicta Collegiata infervientem, ac alium pro tempore deputandum, qui eandem Ecclesiam S. Salvatoris reget, & gubernet, ac onera dictae Ecclesiae Blesens., si qua illi in posterum incumbant supportet, & adimpleat inter Cappellanos dictae Ecclesiae Blesens. locum habere, ac omnibus redditibus, & emolumentis, quibus alii Cappellani ejusdem Ecclesiae gaudent, & gaudebunt, & gaudere volumus, & mandamus; Capitularem vero Mensam, & Capitulum, necnon quinque Dignitates, seu Personatus in dicta Collegiata Ecclesia S. Salvatoris existent., nempe Decanatum dignitatem, principalem, qui animarum, Canonicorum, dignitatum, Cappellanorum, & Ministrorum dictae Ecclesiae Blesens. juxta laudabiles consuetudines aliarum Ecclesiarum Cathedralium dicti Regni curam exercebit, Praeceptorium, Subdecanatum, Praeposituram, & Thesaurariam, necnon duodecim Canonicatus cum totidem Praebendis, & triginta duas Cappellanas, necnon Anniversaria, aliaque jura, & onera, reservato tamen Decano, & Capitulo dictae Collegiatae Ecclesiae jure, quod eis competit, ut prius conferendi Beneficia in dicta Collegiata Ecclesia, & juxta foundationem erga Cappellanos amovibiles, & eidem Capitulo tanquam Rectori primario deputandi Canonicum, qui certis anni diebus in dicta S. Salvatoris Ecclesia Missas & horarum solemnia peragat, & exequatur, nec-

Translatio Ecclesiae Collegiatae S. Salvatoris cum nonnullis Ordinationibus circa Capitulum, ejusque Mensam, & Beneficia.

necnon administrandi Sacramenta pro tempore existenti Regi Franciae, & Sanguinis Principibus primariisque Regni Administris in eventum, in quem illos, seu eorum aliquem in dicta Civitate Blesens. commorari contingat, ad sic erectam Cathedralis Blesens. de similibus consilio, & auctoritate, etiam perpetuo transferimus, & sic ipsa Ecclesia Blesens. Prioratum Sancti Solemnis in eisdem Ecclesiae Dignitatem, sextam, & ultimam futuram, quem modernus, & pro tempore obtinens dictum Prioratum in reliquum Clerum, & Populum dictae Parochiae Curam animarum, ut prius exercebat, cum hoc, quod licet dictus Prioratus sit, & esse debeat sexta, & ultima Dignitas in dicta Ecclesia, tamen modernus Prior S. Solemnis praedicti Dignitatis titulo, ut praefertur, decoratus quoad vixerit, & d. suum Prioratum obtinebit secundum locum inter Dignitates, idest immediate post Decanum locum sibi vindicabit, & tam Dignitates qui Canonicatus, & Praebendas huiusmodi tam in Collegiata ex nunc erectos, quam in Cathedrali Ecclesiis pariter erigendos obtinentes Capitulum cum Mensa Capitulari, sigillo, & arca communibus aliisque Insignibus Capitularibus constituent, & apud dictam Ecclesiam Blesens. residere, stallumque in Choro, ac vocem in Capitulo ipsius, necnon in actibus, & functionibus Ecclesiasticis intra, & extra illam ubilibet juxta eorum respective antianitatem receptionis dumtaxat absque ulla alia cujusvis gradus, seu qualitatis distinctione, & in ipsa Ecclesia singulis diebus horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, & Missas servata Ecclesiastica disciplina uniformiter celebrare, & decantare, illisque interesse, ac alias dictae Ecclesiae Blesens. in divinis, caeteraque onera injuncta, & pro tempore injungenda subire, & exercere, ac adimplere respective debeant, & teneantur, ac tam in Choro, quam Capitulo, processionibus, & aliis actibus, & functionibus habitus de jure praestari solitos, etiam deierre, & gestare libere, & licite possint, & valeant. Praeterea Nos omnimodam jurisdictionem, superioritatem, & auctoritatem in Capitulum, Canonicos, Ministros, & Officiales dictae Ecclesiae a jurisdictione, & superioritate Episcopi Carnoten. exemptos, & liberatos, pro tempore existenti Episcopo, & ejusdem Ecclesiae Blesens. concedimus, & attribuimus, eidemque jus, auctoritatem, & potestatem quaecumque, & qualiacumque cum cura, & sine cura Beneficia Ecclesiastica quomolibet nuncupata, & qualificata in Cathedrali, & aliis Ecclesiis Civitatis Blesens., necnon in tota sua Dioecesi Blesens. consentientia, & extra illam, eaque a dictis Monasteriis S. Launomari, & Burgimedii, ac Prioratibus huiusmodi unitis dependere dignoscuntur occurrentibus quovis modo illorum vacationibus, personis idoneis, dummodo tamen Beneficia huiusmodi sub Concordatis praedictis non comprehendantur, pleno jure conferendi, & de illis etiam providendi concedimus, & impartimur.

§.5. Et quia ex distractione, & dismembratione dictae Ecclesiae Blesens. a Dioecesi Carnoten. aliqua damna Episcopo, & Capitulo, & Archidiaconis Ecclesiae Carnoten. inferuntur; Nos ad enixas dicti Ludovici Regis preces Mensam Abbatialem Monasterii Gaudivallensis vulgo de Soyenual Praemonstrantem. Ordinis Carnoten. Dioecesis illius Commendam, in qua ex con-

Assignatio cuiusdam Abbatiae Ecclesiae Carnoten ob factam divisionem

cessione Apostolica ad vitam obtineri consuevit per obitum Gregorii d'Aubuffent dela Fovillade illius ultimi Abbatis Commendatarii extra Romanam Curiam defuncti cessante vacan., & ad quod dum pro tempore vacat, idem Ludovicus Rex vigore Concordatorum praedictorum personam idoneam nominare potest, & debet, salva, & illa illius mensa Capitulari remanente, ex quo dicti Ludovici Regis ad id accedente consensu etiam suppressimus, & extinguimus omnes, & singulos d. mensae Abbatiales Gaudivallensis fructus, redditus, & proventus eidem Ecclesiae Carnoten., seu illius mensae Episcopali unius, applicamus, & appropriamus, ita tamen ut ex fructibus huiusmodi trecentae librae Turonen. unicuique ex tribus Archidiaconis Ecclesiae Carnoten. praedictae praesentibus, & futuris pro indemnitate suorum Jurium annuatim persolvantur; & casu quo modernus Archidiaconus Dumensis ex nunc distractioni, & dismembrationi partis, seu portionis sui Archidiaconatus consentire, & tali compensationi acquiescere renuerit, seu noluerit; Nos jura, & jurisdictionem ipsius in illa parte seu portione sui Archidiaconatus, ut praefertur, distracta, & dismembrata quando vixerit, & Archidiaconatum obtinuerit reservamus, quodque deinceps perpetuis futuris temporibus quoadcumque, & quotiescumque eandem Ecclesiam Carnoten. per obitum illius Episcopi, aut cessionem in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis etiam ex causa permutationis, vel Coadiutoriae, aut alias quovis modo Pastoris solatio desitui contigerit, omnes, & singuli dictae Mensae Abbatiales Gaudivallens. fructus, redditus, & proventus, qui cujuslibet primi anni post singularem vacationem ad Capellanum, Dignitates, & Canonicos dictae Ecclesiae Carnoten. distracta prius ex eis summa praedictis tribus Archidiaconis assignata, & supportatis quibusvis aliis debitis, oneribus spectent, & pertineant.

§.6. Et quia in dicta Civitate Blesens. Domus pro Episcopi habitatione constructa non extat; Nos supra dicto futuro Episcopo facultatem, & licentiam damus in dicta Civitate Blesens., aut alibi existentes, & ad mensas Abbatiales duorum Monasteriorum Sancti Launomari, & de Burgomedio spectantes vendendi, alienandi, aut hypothecandi, & ex illis retractum pretium in emptionem situs, & constructionem, & adificationem Domus Episcopalis huiusmodi construendi, erogandi etiam concedimus, & impartimur; statim quoque, ut donec Seminarium ad praescriptum Concilii Trid. institutum fuerit Clericis Sacris initiandi, seu etiam initiati in Seminario Carnoten. educari, & instrui poterunt.

§.7. Insuper etiam Episcopo, Dignitatibus Capitulo, & Canonicis praedictis ut pro Dote, Ecclesiae Blesens. ac illius Mensae Capitularis, Sacristiae, & fabricae, earumque rerum, & bonorum tam spiritualium quam temporalium profpero, & felici statu regimine, & gubernio, directione, ac onerum illi incumbentium supportatione, Missarum, horarum Canonicarum, divinorum tam diurnorum, quam nocturnorum Officiorum, processionem funeralium, anniversariorum, & aliorum praefatorum celebratione, ac de dignitatibus, Canonicatibus, & Praebendis, aliisque beneficiis, & Ministeriis Ecclesiasticis pro tempore providendorum receptione, ad-

Domus Episcopi, & Seminariorum.

Concessio facultatis Episcopo, & Capitulo.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Maii MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

C L.

Dat. 12. Junii 1697. An. 6.

Confirmatur Constitutio Alexandri VII. contra Religiosos Capucinos transuentes ad aliam Religionem.

Prædicta Constitutio edita fuit 1664, Decembris 17. Et hujus Pontificatus Constitutio edita 1698 Octobris 10. 1. 8. agit de eorum transu ad alias Religiones.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EX injuncto nobis divinitus Apostolicæ feruitutis munere ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad conservandam Religiosorum Ordinum eximia pietatis, & ætioris disciplinæ meritis conspicuorum existimationem provide emanasse noscuntur, ut firmiter sint, & serventur exactius Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter corroboramus, illisque, ne temerario cujusquam ausu violentur, novas sanctiones adjungimus, sicut in Domino expedire arbitramur.

Epilogus Constitutio prædicta interdicta fuit ad Religiosos commorari in eadem Provincia.

§.1. Alias siquidem pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum se. rec. Alexandro PP. VII. Prædecessori nostro exposito, quod nonnulli e dicto Ordine ad alias Religiones transibant, assumptoque in illis habitu Regulari, ad quas Provincias, in quibus habitum prædicti Ordinis Fratrum Capuccinorum publice gestaverant, ac cogniti, & commorati fuerant, illico habitum se conferebant, & ad tegendas, seu deferendas proprias imperfectiones ejusdem Ordinis Fratrum Capuccinorum famam multis imposturis lacerare non verebantur, cum gravi Secularium scandalo, bonique nominis d. Ordinis detrimento; Idem Alexander Prædecessor supplicationibus ejusdem Procuratoris Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ne cætero quisquam, qui e memorato Ordine Fratrum Capuccinorum post emissam in illo professionem Regularem ad aliam quamcumque Religionem quomodolibet transivisset, in ea Provincia, in qua professionem hujusmodi emisisset, ac habitum eorumdem Fratrum Capuccinorum publice gestavisset, habitare, seu commorari auderet quovis modo, vel presumeret auctoritate Apostolica prohibuit, & interdixit, & alias prout in ipsius Alexandri Prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 17. Decembris 1664. expeditis, quarum tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Præces Vice-Procuratoris Gen., & causa confirmatio.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Modernus Vice-Procurator Generalis d. Ordinis nobis nuper exponi fecit præfati Alexandri Prædecessoris Literæ, quia nullius pœne infliccione, seu comminatione vallate reperiuntur, iique, qui interdum e dicto Ordine ad aliam Religionem transeundi licentiam ab hac S. Sede sibi concedi

obtinent, illis per literas Apostolicas, quæ super licentia hujusmodi expediti solent, uti posteriores vigore clausularum derogatarum in eis appositarum, derogatum esse prætendunt, minus accurate servantur, non sine notabili honoris dicti Ordinis præjudicio. Nobis propterea dictus Vice-Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsius Vice-Procuratoris Generalis Votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, prædictas Alexandri Prædecessoris literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; necnon omnes, & singulos, tam Religiosos, qui literis hujusmodi controvenerint, quam Superiores, qui illos in aliqua Provincia contra earundem literarum dispositionem collocaverint, seu retinuerint, eo ipso privationis vocis activæ, & passivæ pœnam absque alia declaratione esse declaramus.

Confirmatio Constitutio Alex., & pœna in contravenientes.

Clausula.

§.4. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit inviolabiliter observari, neque ipsis presentibus per quacumque clausulas generales, nisi facta illarum specialium, & individua mentione, ullo modo derogatum censeri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Camerae Apostolicæ Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ dictus Alexander Prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, ut earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Junii MDCXCVII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CL I.

Dat. 25. Junii 1697. An. 6.

Erigitur Oppidum Blesen. in Civitatem, ejusque Ecclesia S. Solemnis in Cathedralis.

Constitutio 1694, Maii 16. P. 3. extat erectio Episcopatus Asten. Nemaucien. Diocesis. Et Benedict. XIII. Constit. edita 1728, Nov. 15, P. 5. erectio Episcopatus Fabriani.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN Sacra Beati Petri Sede meritis licet imparibus, ita Patre luminum disponente collocati, ad agrum, gregemque Dominicum nostræ commissum Curæ sollicita mentis acie circumspicientes in iisque ejusdem agri multiplicatis illius cultoribus exactiorem culturam, gregisque majorem fecunditatem profutura esse dignoscimus opem, ac operam nostram libentissime impartimur, præsertim dum sublimium, & excellentium Regum vota id exposcunt, consideratis quoque locorum, personarum, & temporum qualitatibus id expedire animadvertimus.

Causæ derogationis, & Laudis Oppidi Blesensis.

§.1. Hinc est, quod Nos pro Pastoralis nostro Officio, & omnium Ecclesiarum sollicitudine provide considerantes Dioccesem Carnotensem tam in longitudine, quam in latitudine amplissimam, Regionemque Blesensem Populorum, & Incolarum copia valde repletam a Civitate Carnoten. esse adeo remotam, ut unicuique Pastor tanta animarum multitudine ea, quæ par est diligentia regere minime possit, præcipue cum earum major pars confoveri, firmari, & consolidari necesse habeat in vera, & Orthodoxa Fide Catholica, ad quam divina favente gratia, atque applicatione, & cura Charissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum Regis, qui suorum Subditorum saluti semper intentus solum Dei cultum, ejusque Orthodoxam legis Observantiam, S. Matris Ecclesiæ exaltationem, hæresum extirpationem, hæreticorumque conversionem præ oculis habet, non ita pridem feliciter conversæ est, æquissimum esse remedium duxit Regionem Blesensem, & Vindeciensem, ac partem, seu certam portionem Regionis Dunensis duabus regionibus prædictis contiguam a Diocesi Carnoten. separare, & dismembrare, Oppidumque Blesense situm in Provincia Aurelianen. ad Ripam fluvii Ligeris maris undique cinctum, quod olim fuit Comitum Blesensium Sedes, & deinde Regum Franciæ, ac modo satis conspicuum bis mille circiter Domus, & supra decem millium Incolarum continens Urbis Præfecto, & Regio Castro multiplici cura, seu jurisdictione Prætoris quem Ballivatum vocant decoratum, constans quoque Virorum, & totidem Sanctimonialium Conventibus, duabus Collegiatis Ecclesiis, in quarum altera Sancto Salvatore dicata quinque dignitates, duodecim Canonicis cum præbendis, & triginta duæ Cappellanæ cum proventibus, redditibus, & in eodem Oppido, ejusque suburbis adsunt sex Parochiales Ecclesiæ, inter quas insignior est illa Sancto Solemni Sacra sumptis, & expensis dicti Ludovici Regis noviter reedificata pulchra, & satis elegantis structura tre-

decim Cappellis cum aliis tribus nondum terminatis Campanile cum tribus Campanis, Cæmeterio Fonte Baptistimali, ac Choro cum quadraginta duabus sedibus, & navi, populorum capace ornata, & decorata, sacraque, ac profana suppellectili ad divina peragenda, non tamen Pontificalia exercenda utcumque instructa, in Cathedralis, ibique Sedem Episcopalem erigere, & collocare præficiendo ei novum Episcopum, qui tum verbo, tum exemplo boni operis Incolas illorum finium magisque in vera Fide confirmaret.

Præces Ludovici Regis Franciæ.

§.2. His igitur aliisque de causis animum nostrum moventibus, re prius in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium rebus Consultationibus præposita sub die 19. Julii, & septima Septembris Anni Domini millesimi sexcentissimi nonagesimi sexti vigesima quarta Januarii, & vigesima quarta Maii currentis Anni mature discussa piis ejusdem Ludovici Regis desideriis annuere volentes, ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu dictum Oppidum Blesense, necnon Districtus, & territoria integra Archidiaconatum Blesensis, & Vindecienensis, ac certam partem, seu portionem Archidiaconatus Dunensis per Venerabilem Fratrem Nostrum Episcopum, & dilectos filios Capitulum, & Canonicos Carnoten. designata, & delineata cum omnibus suis confinibus, & terminis, quæ in latitudine, & longitudine per sexaginta millia Italica se extendunt, & intra quæ centum, & nonaginta due Parochiæ, octoginta millia fidelium complectentes, numerantur, ab ordinaria jurisdictione dicti Episcopi Carnoten. de ejus, ac illius Capituli Cathedralis expresso consensu, a qua auctoritate separamus, dismembramus, segregamus, & dividimus, illudque, ac ejus Clerum a moderno, & pro tempore existentis Episcopi Carnoten. superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, & correctione, ac quibusvis aliis juribus Episcopalibus prorsus, & omnino eximimus, & liberamus, ac Oppidum prædictum Civitatis, illiusque Incolas Civium nomine, ac titulo, & honore decoramus, illudque in Civitatem Blesensem nuncupandam erigimus, & Parochialem Ecclesiam S. Solemnis in dicto Oppido Civitate nuncupatam existentem in Cathedralis Ecclesiam sub invocatione S. Ludovici pro uno Episcopo Blesen. nuncupando, qui illi præsit, ac ipsam Parochialem Ecclesiam ad formam Cathedralis Ecclesiæ redigi faciat, necnon Ecclesiasticam jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem omniaque alia, & singula, quæ Ordinis, jurisdictionis, & cujusvis alterius muneris Episcopalis sunt, & ad illa, ac Synodi Diocessanæ, convocationem, & celebrationem spectant, & pertinent exercere, necnon quæ alii Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diocessibus de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet facere, & quibus uti solent, & possunt, pariformiter æque principaliter absque ulla prorsus differentia in suis Ecclesiis, Civitate, & Diocesi Blesen. etiam facere, gerere, & exercere, ac uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possit, & debeat, ac pro tempore Archiepiscopo Parisien. jure metropolitico prout ante separationem, & dismembrationem suberat

Separatio Regionis Blesen. Vindecien., & Dunen. ex parte a Diocesi Carnoten.

Erectio Oppidi Blesen. in Civitatem, & Ecclesiæ S. Solemnis in Cathedralis sub honore S. Ludovici.

missione; residentia personali distributionum etiam quotidianarum & emolumentorum quorumcumque divisione, repartitione, & administratione poenarum per abentes, & divinis suis loco, & tempore non assistentes, seu onera, & ministeria eis incumbenda subire negligentes incurrendarum impositionum singularum presentias, & abentias notandi, Ceremoniis, & ritibus in Cathedrali Ecclesia, Choro, Capitulo, Processionibus, & aliis actibus servatis servandis, & Ministris dictae Ecclesiae Blesen. necessariis deputandis, & amovendis, salariis, & stipendiis eorum cuilibet assignandis, & quibusvis rebus in praemissis, & circa ea quomodolibet necessariis & opportunis quaecumque Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta, licita tamen, & honesta, & Sacris Canonibus, praesertim vero Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non contraria condendi, & edendi, ac condita, & edita pro tempore, & rerum varietate, & qualitate mutandi, limitandi, corrigendi, declarandi interpretandi, & in meliorem formam redigendi, seu alia de novo etiam ex integro condendi, & edendi, & per eos, ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis, observari faciendi plenam, liberam, & omnimodam facultatem etiam concedimus, & impartimur; necnon Episcopo, ut praesertur, ac Dignitates in praedicta Ecclesia Blesen. obtinentibus, ac Capitulo, & Canonicis ejusdem Ecclesiae, aliisque Capituli, & Ecclesiae hujusmodi personis, & Ministris pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, prerogativis, concessionibus, facultatibus, Indultis, favoribus, & gratiis, quibus alii, qui & aliarum Ecclesiarum Dignitates obtinentes Capitula, & Canonici, aliaeque Civitates, & Dioeceses ac eorum Cleri, Incole, & habitatores, eorumque res, & bona fruuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, & quoad habitus delationem, ut praesertur uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant, concedimus, & indulgemus: ac eidem Ludovico, ejusque successoribus Franciae Regibus attenta suppressione, & extinctione praedictarum Mensarum Abbatialium, & eorum fructuum pro dote, seu dotis parte Episcopatus Blesen. unione Mensis Episcopatus Blesen., & Carnoten. praedictis de consensu dicti Ludovici Regis, ut supra factis Jus nominandi ad dictam Ecclesiam Blesen. quodcumque, & quotiescumque illa Pastoris solatio destituta fuerit juxta formam, & dispositionem Concordatorum praedictorum etiam perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus.

Item concessio privilegiorum, Episcopos, Capitulum, aliosque.

Ac Jus nominandi ad d. Ecclesiam Regis Francie.

Clausula.

§.3. Praesentes quoque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu etiam ex eo, quod cause propter quas praemissa emanarunt coram Nobis, vel alibi verificatae, & approbatae, ac quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes ad id vocati, citati, & auditi non fuerint, & praemissis non consenserint, aut alio quovis defectu notari, impuguari, invalidari, retractari, in Jus, vel controversiam vocari, ad terminos Jus reduci remedium impetrari, vel sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revoca-

tionibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae Regulas quodcumque etiam in crastinum assumptionis Successorum Nostrorum ad Summi Apostolatus apicem, vel alias quodcumque editas, vel sub quibusvis tenoribus, & formis emanatas, & in posterum eden., & emanandas nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum, etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Episcopum, Dignitates, Capitulum & Canonicos hujusmodi eligenda restitutas, repostas, & plenarie reintegratas, ac de novo concessas semper validas esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, necnon Episcopo, Dignitatibus, Capitulo, & Canonicis hujusmodi pro tempore existentibus perpetuo suffragari: sicque & non alias per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis qualibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus.

§.9. Non obstantibus Nostris & Cancellariae Apostolicae Regulis de gratiis, & Indulgentiis adinstar non concedendis, ac de exprimendo vero annuo valore, necnon de jure quesito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac Lateranen. Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a Jure permittis fieri prohibentis, ac quibusvis Apostolicis necnon in Synodaliibus Provincialibus, & Generalibus Conciliis editis, vel edendis Constitutionibus, quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, & expressio ad hoc servanda foret, illis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse juxta Decretum Congregationis rebus Consistorialibus praeposita harum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

§.10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae separationis, discernationis, segregationis, divisionis, exemptionis, liberationis, decorationis, erectionis, institutionis, concessionis, attributionis, assignationis, subventionis, suppressionis, extinctionis, unionis, annexionis, applicationis, appropriationis, translationis, voluntatis, mandati, impartitionis, suppressionis, extinctionis, reservationis, Indulti, Decreti, & derogationis infringere, aut ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Sexcentesimo nonagesimo septimo septimo Kalendas Julii Pontificatus Nostrae Anno Sexto.

CLII. Confirmatur Decretum Congregationis Rituum

Dat. 11. Aug. 1697. An. 7. de

de Cultu Immemorabili Servae Dei Mariae de Capite.

Const. ed. 1696, Jun. 30, P. 5 extat confirmatio Cultus B. Mariae de Jocos. Et Clem. XI Const. ed. 1710, Mar. 16, P. 10 Cultus B. Lucia de Narvina.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Apostolicae servitutis officium, quod inscribibilis Divinae Sapientiae, atque clementiae altitudinis humilitati atque infirmitati Nostrae credere dignata est salubriter exequi aspirante superni favoris auxilio jugiter satagentes, Beatarum Christi Ancillarum in Coelis cum eo regnantium, in quibus nimirum utpote vasculis imbecillioribus opus dexterae excelsi mirabilis, ac illustris apparuit, cultum, & venerationem in Terris libenter promovemus, sicut pia sublimium personarum non minus virtutis, quam Regii culminis splendore conspicuarum vota postulant, & Nos ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiaeque Sanctae decus, atque aedificationem expedire in Domino arbitramur.

D. Decreto confirmata fuit sententia a Judicibus Delegatis prolata circa dictum cultum, & cultum exceptum.

§.1. Cum itaque nuper nempe die 3. currentis Mensis Augusti in causa Toletana Beatificationis, & Canonizationis Servae Dei Mariae de Capite vulgo della Cavezza nuncupatae uxoris dum vixit, Sancti Isidori Agricola ad enixas preces charissimi in Christi filii Nostrae Caroli Hispaniarum Regis Catholici, ac charissimae in Christo filiae Nostrae Mariannae earundem Hispaniarum Reginae Catholicae ejus uxoris, accedentibus etiam in id supplicationibus Ven: Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Senatuum, seu Magistratuum plurimarum Civitatum Regnorum Hispaniarum, praesertim vero Senatus, seu Magistratus oppidi Madriti Toletan. Dioecesis, & ad itaatas, ac supplices instantias dilectissimi filii Alphonsi de Torralba ejusdem Caroli Regis in Romana Curia Agentis, seu negotiorum gestoris, ac Cause Beatificationis, seu Canonizationis hujusmodi postulantis, repositio in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum per dilectum filium Nostrum Joannem Franciscum ejusdem S. R. E. Cardinalem Albanum nuncupatum dubio, quod prius nempe die 13. Julii proxime praeteriti per ipsum Joannem Franciscum Cardinalem, dilata tamen tunc ejus resolutione, propositum fuerat: an scilicet sententiae Judicum ab eadem Cardinalium Congregatione Delegatorum prolata super cultu ab immemorabili tempore ipsi Servae Dei Mariae exhibito, & casu excepto a Decretis se: re: Urbani PP. VIII. Praedecessoris Nostrae essent confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agebatur, relatisque contentis in precibus desuper fabricatis, eiusque serio, & diligenter discussis, & examinatis, dicta Congregatio Cardinalium audito etiam prius in scriptis, & in voce Ven: Fratris Prospero Archiepiscopo Myrea Promotore Fidei, de ejusmodi cultu immemorabili constare, praedictaque sententia confirmanda esse censuit.

§.2. Hinc est, quod Nos piis, ac devotis coramdem Caroli Regis, & Mariannae Reginae

Proces Regis, & Reginae Hispaniarum.

precibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter assensum quantum cum Domino possumus, praebere cupientes, Decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet de cultu immemorabili dictae Servae Dei Mariae de Capite, & casu excepto a Decretis praedicti Urbani Praedecessoris constet, Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illiq; inviolabilis Apostolicae firmitatis robor adjicimus, salva tamen, semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio praed. Decreti

Clausula.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit, in futurum plenissime suffragari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti MDCXCVII. Pontificatus Nostrae Anno Septimo.

CLIII.

Prohibetur, ne amplius Laici Congregationis Ministrantium Infirmis gaudeant voce activa vel passiva.

Dat. 20. Aug. 1697. An. 7.

De eorumdem electione in Consultores vide Inm. XI Const. ed. 1684, Aug. 31, P. 3.

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Solicito Pastoralis officii, quo Ecclesia Catholicae regimini divina dispositione praesidemus, Nos admonet, ut paternam Congregationum virorum Religiosorum uberes bonorum, operum fructus aspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium curam gerentes, illarum quieti, felicitate regimini, quantum Nobis ex alto conceditur consulere studeamus.

§.1. Alias siquidem fel: re: Innocentio PP. XI. Praedecessori Nostrae pro parte tunc existentis Praefecti Generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis exposito, quod licet per quamdam Constitutionem re: me: Gregorii XIV., etiam Praedecessoris Nostrae super confirmatione Instituti dictae Congregationis emanatam ordinatum fuisset, ut eadem Congregatio per unum Praefectum Generalem, & quatuor Consultores idoneos, qui perpetui essent, hoc est ad sui vitam in suis officis respective durarent,

Epilogus laudatae Constitutionis Inm. XI, qua statutum fuit, ne amplius Laici eligerentur in Consultores.